

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL  
Decretum Congressus

**Prot. n. 49014/14 CA**  
***Reductionis ecclesiae in usum profanum***  
**(Adv. N. et alii - Congregatio pro Clericis)**

### DECRETUM

In causa reductionis ecclesiae, de qua supra, reiecto a Congregatione pro Clericis recursu hierarchico pro nonnullis paroecianis a Cl.mo N. proposito, hic die 10 februarii 2014 ad H.S.T. provocavit. Exc.mus autem eius Secretarius decreto diei 2 augusti 2014 recursum in limine reiecit, quam adversus decisionem idem Cl.mus N. die 21 augusti 2014 recursum coram Em.mo H.S.T. Praefecto interposuit.

Re rite discussa inter Cl.mos partium Patronos et Rev.dum Promotorem Iustitiae Substitutum,

### SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod obiectum huius recursus est praefatum decretum Exc.mi H.S.T. Secretarii diei 2 augusti 2014, quo recursus reiciebatur ob defectum praesuppositi, sin minus ob evidentem defectum cuiusvis fundamenti;

Quoad defectum praesuppositi in recursu ad H.S.T. diei 10 februarii 2014, perspecto quod:

- Recursus subscriptione recurrentium muniendus est, qua deficiente saltem ex mandato authentico constare debet de legitima interpositione (cf. art. 73, § 1, n. 6 H.S.T. *Legis propriae*);

- Cl.mus N. recursui diei 10 februarii 2014 non adnexit ullum mandatum;  
- Ipse dein recursui diei 21 augusti 2014 exemplar non authenticum mandatorum pro recursu ad Congregationem pro Clericis sero confectorum et propositorum alligavit, quae vero mandata tantum recursum ad illam Congregationem, sed haudquaquam ad H.S.T. respiciunt;

- Ad rem non excusat ignorantia vel error, nam: "Qui munus procuratoris apud Dicasteria Curiae Romanae sibi vindicat, evidenter curare debet ut requisita ad munus rite adimplendum cognoscat" (cf. Decretum definitivum coram Burke, d. 24 iunii 2014, prot. n. 47082/13 CA);

DECRETA

- Non adducitur proinde ullum par argumentum contra reiectionem in limine recursus coram H.S.T. ob defectum praesuppositi;  
Omissis, uti superfluis, ceteris forte ad rem animadvertendis;  
Visis artt. 73 et 76 H.S.T. *Legis propriae*;  
Re sedulo examini subiecta in Congressu, die 27 martii 2015 coram infra-scripto Praefecto habito,

**decrevit:**

**Confirmandum esse et facto confirmari decretum Exc.mi H.S.T. Secretarii, quo die 2 augusti 2014 in limine recursus reiciebatur ob defectum praesuppositi.**

Pro expensis processualibus retinetur cautio in arca H.S.T. deposita. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Et notificetur omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 27 martii 2015.

Dominicus Card. MAMBERTI  
*Praefectus*

✠ Franciscus DANEELS, O.Praem.  
Archiepiscopus tit. Bitensis  
*Secretarius*

\* \* \* \* \*